



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 4. Quam pœnam incurreret Sacerdos, qui puerum jam baptizatum iterum baptizaret absque probabili dubio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

quod dicitur inexpiabile esse facinus, quoties juxta haereticorum damnata à sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia qua nobis unam praedicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismo Sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire quod omnino factum esse nescitur: atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indagato, utrum nemo penitus sit qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis: & cum constiterit hunc qui baptismatis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi: accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam antea docetur ingressus.

Cap. Ex litterarum. De Apostatis,

Quaest. 4. Quam poenam incurreret Sacerdos, qui puerum jam baptizatum iterum baptizaret absque probabili dubio de ejus Baptismo jam suscepto?

Cap. Licet. de Baptismo.

Resp. Ut dicitur in Concilio generali Lateranensi: Si quis baptizatos rebaptizare ausu temerario presumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.

D. Carol. A. A. P. 4. De Baptismi adm.

Sanctus autem Carolus ait: Cum infans qui Baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certe non apparet eum baptizatum esse, ut de expositis parvulis dubitari atque ignorari saepenumero solet. Quod si re accurate investigata, exploratum habuerit, illum formam servatam baptizatum

De Sacram. Baptismi. Cap. III. 69

esse: caveat omnino ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat, si contra fecerit, & illud impedimentum contrahat, quod sacri Canonnes irregularitatem vocant.

Unde idem Sanctus, De iis quæ Parochus antequam infans in Ecclesiam ad baptis. deferat. præmonebit. Cum vero sepe aliàs, tum maximè cum expositum baptizat, hoc graviter monebit, ut omnes quicumque sint, caveant suos, aut alienos filios exponere; tuncque ne exponant in loco publico ubi facile perirent, sed in hospitalibus locisve speciatim eo nomine constitutis: ac præterea collo appensâ alligatâve infantis qui exponitur schedulâ, aut nota alia indicante nomen & Baptismum, si baptizatus est.

Quest. 5. Est-ne baptizandus saltem sub conditione puer qui baptizatus est domi imminente mortis periculo?

Resp. Catechismus Concilii Tridentini sic respondet: *Qua in re diligenter à Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus ferè quotidie non sine maxima Sacramenti injuria peccatur; neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus querendum putant, an is priùs ablutus fuerit, sed statim ei Baptismum tribuunt: quin etiam quamvis exploratum habeant domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram abluionem in Ecclesia adhibitâ solemnî ceremoniâ cum adjunctione repetere non dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma ex Alexandri*

Catechismus
Concil. Trid.
De Baptismo.
§. 56.